



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Addo quod scientia infusa animæ Christi cognoscit per proprias species omnia quæ per proprias species sunt in seipsis representabilia: Sed futura contingentia representari possunt per proprias species, ut ex solutione argumentorum patebit: Ergo à scientia infusa animæ Christi cognoscuntur per proprias species ea immediate representantes.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem ea solum militant argumenta, quibus Molina probare nititur, Deum in causis secundis futura contingentia certò cognoscere quæ in Tractatu de scientia Dei disputatione 4. art. 3. §. 6. plenè soluta sunt, unde hic ea prætermittimus, & ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetantur.

Contra secundam obijcitur primò: Cognitio futurorū in testimonio divino clarè & evidenter cognita est possibilis, ut ostendimus in Tractatu de fide, etque compatibilis cum unione hypostatica, visione clarà Dei, & omni alià perfectione majori: At omnis perfectio possibilis, & compatibilis cum majori perfectione, est animæ Christi tribuenda: Ergo concedenda est Christo cognitio futurorum contingentium in divino testimonio, & consequenter hujus cognitionis principium: At principium istius cognitionis non est lumen gloriæ, per quod solum cognoscuntur objecta creata in verbo, nec fides, quæ in Christo non fuit: Ergo principium illius est scientia supernaturalis infusa. Major pro prima parte docetur in Tractatu de fide: Pro secunda verò, in qua sola est posita difficultas, sic ostenditur. Cognitio fidei ideo est cum visione clara ejusdem objecti incompatibilis, quia est essentialiter obscura: Sed cognitio futurorum in divino testimonio clarè & evidenter cognito, non est essentialiter obscura: Ergo non pugnat cum visione clara Dei, aut cum cognitione evidenti futurorum in seipsis, & consequenter cum omni alià perfectione majori impossibilis non est.

92. Respondeo, concessa Majori & Minori, cum primà Consequentiā, negando Minorem subsumptam, datur enim aliud lumen, præter ibi enumerata, à quo procedat cognitio futurorum in testimonio divino, nimirum lumen propheticum, quod (ut supra annotavimus) à lumine gloriæ, & scientia infusa distinguitur, per hoc quod lumen beatificum creaturas in divina essentia cognoscit, scientia infusa illas in seipsis attingit, lumen verò propheticum in testimonio divino, evidenti, vel obscuro.

93. Nec valet si dicas, D. Thomam qu. 20. de verit. art. 6. expressè docere quod Christus non cognovit futura contingentia, cognitione prophetiæ, quia prophetia est quedam imperfecta participatio illius visionis quæ videntur res in verbo, quæ cum in Christo perfecta fuerit, imperfectio prophetiæ in illo locum non habuit. Non valet, inquam, nam vel S. Doctor id retractavit in hac parte qu. 7. art. 8. ubi expressè docet in Christo, dum erat viator simul & comprehensor, fuisse lumen propheticum. Vel solum negat animæ Christi propheticam cognitionem, secundum quod regulariter prophetia in hominibus invenitur, nempe cum obscuritate; non autem secundum essentiam prophetiæ, de cujus essentiali ratione non est obscuritas ut supra disp. 12. art. 5. docui-

Amus. Quod verò hæc interpretatio sit legitima, S. Thomas eo loco in hoc sensu locutus non fuit, sed in alio, ubi dicitur, *imperfectio prophetiæ in Christo locum non habuit*, quibus non est intentum, sed duntaxat imperfectionem prophetiæ, per accidens ei contingit, ab anima Christi excludit.

Obijcies secundò contra tertiam conclusionem: Ad perfectionem animæ Christi pertinet quod non solum omnia cognoscat, sed etiam omni modo & genere cognitionis possit: Sed possibile est quod anima Christi per scientiam supernaturalem infusam cognoscat futura contingentia in libero Dei decreto de eorum formatione, hoc enim nullam involvere videtur repugnantiam: Ergo de facto ea in decreto per scientiam infusam cognoscit.

B Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, licet enim anima Christi futura contingentia in decreto cognoscere possit, non tamen per scientiam infusam, sed solum per scientiam beatam: quod enim in decreto divino cognoscitur, non in se & ratione sui, sed in alio ut in causa cognoscitur; scientia verò infusa, ad res creatas in seipsis terminatur. Unde cognitio futurorum contingentium in decreto, non spectat ad scientiam infusam, sed ad scientiam beatam, quæ creaturas omnes sive possibiles sive futuras in essentia divina contemplatur, ut in Tractatu de visione beatifica fuse ostendimus.

Obijcies tertio: Deus non potest futura contingentia in seipsis immediate cognoscere, sed solum mediante libero suæ voluntatis decreto, ut cognito, seu ut medio cognoscendi, ut in Tractatu de scientia Dei contra defensores scientiæ mediæ demonstravimus: Ergo pariter anima Christi non poterit futura contingentia in seipsis immediate cognoscere, sed solum in libero divinæ voluntatis decreto, ut in medio proprio cognito.

C Sed nego consequentiam & pariter rationem autem discriminis est, quia cognitioni divinæ sub quacumque formalitate repugnat specificari à veritate creata, ac proinde immediate ad illam terminari; unde omnia sive possibilia sive futura, in sua essentia, vel nudè sumpta, vel per liberum suæ voluntatis decretum determinata, ut in causa, & medio prius cognito, contemplatur: cognitioni autem create animæ Christi, licet non repugnet specificari à creaturis, ita nec ad illas immediate terminari.

§. III.

Solvuntur alia argumenta contra quartam conclusionem fieri solita.

Contra quartam conclusionem, in qua dicitur, *Christum per scientiam infusam cognoscere futura contingentia immediate in seipsis, per species à Deo infusas, immediate illa representantes, plura ac difficilia obijci solent argumenta, quæ breviter hic proponemus & diluamus.*

E Obijcitur ergo primò: D. Thomas 1. 2. quæst. 37. art. 3. sic ait: *Alio modo cognoscuntur futura in seipsis, & sic solius Dei est futura cognoscere, quia dum vider omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex, toti temporis adest, & illud includit*: Ergo anima Christi Domini, per scientiam supernaturalem infusam nequit futura contingentia in seipsis immediate cognoscere. Consequentiā manifestè videtur: Tum quia illa sic cognoscere, solius Dei est, ut docet D. Thomas. Tum etiam, quia sci-